Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

mitterent. macerati diutius ergastulis. His auditis regi-
na crudelis et impia, uestibus dolore conscissis talia clamita-
bat. O serue dei Seuerine, sic a deo tuo illatae uindicantur in-
iuriae. Hanc mei contemptus ultionem effusis precibus postulasti,
ut in mea uiscera uindicares. Itaque multiplici contritione ac
mirabili lamentatione discurrens, fatebatur se pro scelere contemptus
quod in seruum dei commiserat plagis praesentis ultione percelli. Confes-
timque directis equitibus ueniam petitura, et Romanos quos ea die
tulerat, pro quibus et rogantem contempserat, remisisit. Et aurifices
accipientes protinus sacramentum ac dimittentes infantulum pariter
et ipsi dimissi sunt. His auditis reuerentissimus Christi seruus gratias crea-
tori referebat uniuersas, qui ob hoc interdum differt uota poscen-
tium, ut fide, spe et caritate crescente, dum minora petuntur,
maiora concedat. Inde namque egit gratias omnipotenti ac saluatori deo,
ut dum liberos seua mulier subicit seruitati, seruientes co-
geretur reddere libertati. Quibus mirabiliter impetratis, regina statim ad
seruum dei properans cum marito monstrat filium, quem fatebatur illius
orationibus de mortis confinio liberatum, promittens se nequaquam eius ius-
sionibus obuiare. Magna quoque dei famulo prophetiae gratia praedito inter-
dum dis erat captiuis industrie. Studiosius etenim insistebat
barbarorum ditione uexatos genuine restituere libertati.
Interea cuidam cum coniuge liberisque redempto praecepit transuadare
Danubium et hominem ignotum in nundinis quaerere barbarorum,
Quem interim diuina reuelatione didicerat, ut et signa statu-
rae, capillorumque colorem, uultus eius ac uestis habitum indicaret, et in qua
parte nundinarum repertus eum esset ostenderet, addens ut quicquid
ei repta diceret persona, reuersus sibi maturius intimaret. Profectus
itaque cuncta sicut uir dei praedixerat miratus inuenit. Is ergo ab eodem
homine quem reperisse mirabatur interrogatus audiuit dicentem: Pu-
tasne possum inuenire hominem, qui me ad uirum dei, cuius ubique fa-
ma diffunditur, quo uoluit incede perducat? Diu est enim quod sanctos
martyres quorum reliquias affero suppliciter interpello, ut a talium ministerio
tandem aliquando soluar indignus. Quod huc usque non temeraria presump-
tione, sed religiosa necessitate sustinui. Tunc nuncius hominis dei eum
eius aspectibus praesentauit. Qui debito sanctorum Geruasii et Prothasii
martyrum reliquias honore suscipiens, in basilica quam in monasterio
construxerat collocauit officio sacerdotum. Quo loco martyrum congregauit
sanctuaria plurimorum, quae tamen ei petente tempore deus semper reuelauit.
Nec autem promeruit suscipere, sciens aduersarium sepe surripere sub
nomine sanctitatis. Episcopatus quoque honorem ut susciperet postulatus, praefinita
responsione conclusit, sufficere sibi dicens, quod solitudine desiderata
priuatus ad illam diuinitus uenisset prouinciam, ut in tribus tribulantium
interesset frequentiis. Datur nichilominus monachis formam
sollicitior admonebat beatorum patrum uestigiis inherere,
quibus sancte conuersationis acquireretur instructio, adhibendamque operam
ne hii qui parentes reliquerunt et seculi pompe secularis illecebras
retrorsum respiciendo cupiunt quas uitauerunt, et ob hoc uxoris
Loth exemplum terribile proponebat. Memorabat timore dei
mortificanda esse incentiua libidinum, nec aliter superanda cor-
poralis delectationis asserit incendia, nisi fuissent per dei gratiam
lacrimarum fonte restincta. Quidam uero nomine Maurus basilice mo-
nasterii fuit editus, quem beatus Seuerinus redemerat de manibus bar-
barorum. Huic quadam die praecepit uir dei dicens: Caue ne hodie
egrediaris alicubi, alioquin imminenti periculo non carebis.
Hic ergo contra praeceptum tanti patris secularis cuiusdam hominis persuasu
meridie ad colligenda poma in secundo a Fauianis miliario
egressus, mox a barbaris Danubio transuectus est cum suo persuasore
captiuus. In illa hora uir dei dum in cella legeret, clauso repen-
te codice: Maurum, ait, cito requirite. Quo nusquam reperto, ipse
contiguo Istri fluenta praetermeans, latrones properanter insequitur,
quos uulgus scamaras appellat. Cuius uenerandam praesentiam non fe-
rentes, supplices quos ceperant reddidere captiuos. Dum ad-
huc Norici ripensis oppida superiora constarent, et pene nullum
castellum barbarorum uitaret incursus, tam celeberrima sancti
Seuerini fraglabat opinio, ut certatim eum ad se castella sin-
gula pro suis munitionibus inuitarent, credentes quod eius praesentia
nichil eis eueniret aduersi. Quod non sine nutu diuini muneris
agebatur, ut omnes eius monitis quasi celestibus terrerentur oraculis,
exemploque illius bonis operibus erudirentur. In castellum quoque cui
erat Cucullis uocabulum deuotionibus accolarum uir sanctus ue-
nerat aduocatus. Vnde factum grande miraculum nequeo reticere.
Quod tum Marciani post presbiteri nostri ciuis eiusdem loci stupenda rela-
tione cognouimus. Pars plebis in quodam loco nefandis sacrifi-
ciis inherebat. Quo sacrilegio comperto, uir dei multis plebem ser-
monibus allocutus, ieiunium triduanum per presbiterum loci persuasit in-
dici, ac per singulas domos cereos afferri praecepit. Quos propria ma-
nu unusquisque parietibus affixit ecclesiae. Tunc psalterio ex more de-
curso, ad horam sacrificii presbiteros et diacones uir dei hortatus est tota
cordis alacritate secum communem dominum deprecari, quatenus sacrilegos
discernendos lumine sue cognitionis palam ostenderet. Itaque
cum multa largissimis fletibus cumque fixis genibus precaretur, pars
maxima cereorum quos fideles attulerant subito est accensa diui-
nitus; reliqua uero eorum qui praedictis sacrilegiis infecti fuerant uolen-
tes latere quod negauerant inaccensa permansit. Tunc ergo qui eos po-
suerant diuino declarati examine, protinus exclamantes secre-
ta pectoris satisfactionibus prodiderunt, et suorum testimonio ce-
reorum manifesta confessione conuicti propria sacrilegia testabantur.
O clemens potentia creatoris, que fecit cereos animosque flaman-
tes; accensus est ignis in cereis, et refulsit in sensibus. Visibi-
lis lux naturam cere liquabat in flammas, inuisibilis corda
fatentium soluebat in lacrimas. Quis non credat amplius eos quos sacrile-
gus error inuoluerat postea claruisse bonis operibus, quam eos quorum cerei
fuerant accensi diuinitus? Alio rursus tempore in finibus eiusdem cas-
telli locuste frugum consumptrices copiose insederant, noxiis
morsibus cuncta uastantes. Tali ergo eruginis peste perculsi, mox
presbiteri ceterique mansores sanctum Seuerinum summis precibus adierunt,
dicentes: Ut tante plage auferatur atrocitas, orationum tuarum
expeta suffragia postulamus, quem magno dudum miraculo in
accensis celitus cereis multum apud dominum ualere conspeximus.
Quos ipse religiosus allocutus: Non legistis, ait, quod auctoritas diui-
na peccanti populo praecepit per prophetam: Conuertimini ad me in to-
to corde uestro in ieiunio et fletu. Et post pauca: Sanctificate ieiu-
nium, uocate cetum, congregate ecclesiam, et cetera quae secuntur.
Explete itaque dignis operibus quae docetis, ut maliciam facile